

Et non aliter, neq; ullo modo, ita quod hujusmodi abſolutio
Et diſpenſatio in foro judiciali nullatenus ſuffragatur.

XII. Ut omnis occaſio utendi hac diſpenſatione in foro
judiciali amputetur, additur: Nullus ſuper his adhibitis re-
ſcribibus aut litteris datis, ſeu proceſſibus conſectis; preſen-
tibus laniatis, quas ſub pœna excommunicationis lata
ſententia laniare veneris, ita ut nullum illarum exem-
plum extet, neque eas latori reſtituas; quod ſi reſtitueris
nihil ipſi preſentes litteræ ſuffragentur.

Nulli ergo omnino teſtes in actu diſpenſationis interve-
nire poſſunt; nec ullæ omnino litteræ etiam private qua-
leſcumque dari de diſpenſatione facta; & multo minus proceſ-
ſus judicialis conſici, quibus quovis modo in foro exter-
no hæc diſpenſatio probari poſſet. Et ne aliquod veſtigium
ſeu indicium externum diſpenſationis ſuperſeſſet, litteras ita
laniari mandat, ut nullum exemplum extet.

XIII. Quod addit in fine, quod ſi latori reſtituantur litteræ
diſpenſationis, ipſi eadem litteræ nihil ſuffragentur, ſubin-
telligitur, in foro externo, uti poſt Sanchez De Matrimonio
lib. 8. Diſp. 34. n. 42. notat Marcus Paulus Leonis in Praxi Pen-
nitentiariæ part. 2. c. 2. n. 88. ita ut ſi dictæ litteræ in prædicto
foro exhibeantur, careant omni fide & probatione: quia illa
eſt mens Magni Penitentiarii concedentis; nequaquam verò
ut diſpenſatio facta fruſtretur ſuo effectu in foro conſcientiæ.

CAPUT VIII.

Quæ circa diſpenſationes à Parocho popu-
lo exponenda.

1. Parochus merito monet ut expendant, an ſubſit juſta
cauſa petendi diſpenſationem.
2. Oſtendet quàm periculoſum ſit mediante diſpenſa-
tione Matrimonium contrahere.
3. Diſpenſatio non ſemper reddit aliquem coram Deo
ſecurum.
4. An ſatisfaciant dicendo, Pontifex judicet utrum ſit
juſta cauſa. (artur.)
5. Inſtruedi quod non omnes cauſæ in Curia R. admittuntur.
6. Exponenda clauſula litteris inferi ſolita, Si preces
veritate nitantur.
7. Monendi de clauſulis hujusmodi litterarum; necnon
de juramento præſtando.
8. Litteræ in forma pauperum ſingulariter exponenda.
9. Notitia formularum & clauſularum, quibus diſpenſa-
tiones concipiuntur. Parochis admodum convenient.
10. Episcopi mandant à Parochis eas ſubinde populo ex-
poni.

In primis Parochus intelligens, aliquos
e ſuis Parochianis meditari diſpenſa-
tionem ſuper impedimento Matri-
monii à Sede Apoſtolica petere, uti-
liter eos monebit, ut ſerio expendant,
an re verà coram Deo ſit juſta cauſa
recedendi à Decretis & legibus Eccleſiæ.

II. Ut autem efficacius ad id expendendum moveat, oſ-
tendet, quàm periculoſum ſit ſtatim aliquem aſſumere re-
cedendo à regulis Eccleſiæ. Niſi enim cauſa talis ſit quæ Deo
probetur, verendum, ne ob hunc à regulis Eccleſiæ reſeſ-
ſum, ipſum Matrimonium etiam Divina benedictione fru-
ſtretur: viſumque non rarò quàm infelix fuerit exitus eorū,
qui neglectis ſacris Eccleſiæ ordinationibus vitæ condi-
tionem elegerunt. Et quidem primum in Eccleſia Romana ex-
citatum ſchiſma, in ordinationem auctoris ipſius ſchiſmatis
diſpenſativè factam refundere non dubitavit Cardinalis Ba-
ronius, qui & illius occaſione hoc notandum & huic mate-
riæ appoſitum monitum ſubjungit: "At planè ex facto No-
vatiæ apparet, quanto periculo quaeratur per diſpenſa-
tionem, quod eſt aliàs Eccleſiaſticis legibus interdictum."

Quam inſauſtus ſæpe ſit exitus Matrimoniorum medi-
ante diſpenſatione, præſertim in gradu admodum propin-

quo, contractorum, quotidiana experientia ſat notum eſt.

III. Adhæc proponet Parochus, quod non ſemper co-
ram Deo aliquis ſit ſecurus, licet diſpenſationem à Sede A-
poſtolica obtinuerit, ſi legitima diſpenſandi cauſa deſit. Ne-
que hanc eſſe juſtam excuſationem, quâ plerique ſe ſecuros
exiſtimant dicentes: Papa diſpenſavit, ipſe viderit, ego ſum
immunis.

Quia uti rectè monet Bellarminus epistoſi ad Nepotem
ſuum *Controv. 5.* "Hic cavillus ſecuros multos reddit, tu-
tum verò neminem: quoniam Papa non eſt Dominus,
& ſed diſpenſator; ideoque qui iniquam diſpenſationem pe-
tit, iniquitatis cauſa eſt, & qui ea utitur, eadem ſemper ir-
reſtitur iniquitate."

IV. Si forſan dicant, num cauſa ſufficiens ſubſit, Pontifi-
ci expendendum relinquimus, & juſque conſilium experi-
mus; reſcribitur poterit, quod ſimilibus olim dixit Bernardus
Epistoſi. *1. Utinam non licentiam quaſiſſetis, id eſt, non ut li-
ceret, ſed an liceret.*

Verendum lanè, ne pluribus à Sede Apoſtolica diſpenſa-
tionem eſſagitantibus improperari queat illud quod ver-
bis citatis ſubjungit Bernardus: "Malum in corde conce-
perant, opere tamen auſi non ſunt adimplere niſi cum li-
centia. Conceperunt dolorem, ſed non peperunt ini-
quitate, donec in quo Papa conceptui præbuiſſet aſſen-
ſum.... Quod tamen ſummum feciſſe Pontificem nequa-
quam crediderim niſi aut circumventum mendacio; aut
impertunitate victum."

V. Exponere quoque convenit diſpenſationem petere
meditantibus, quomodo non ſit ſatis, quod cauſa aliqua
forſan de ſe ſufficiens ſubſit, hæcque verificari poſſit; ſed
quod verificanda erit una ex cauſis in Romana Curia ad-
miſſis; idque cum formula, quâ in litteris diſpenſationis ex-
primi conſuevit.

VI. Oſtendendum iuſuper, quomodo potestas diſpenſa-
tionis ipſi Officiali delegari ſoleat ſub hac conditione, ſi pre-
ces veritate nitantur: cujus conditionis effectus exponen-
dus erit; atque demonſtrandum, quomodo ipſa diſpenſatio
ſæpe periclitetur, quia hæc conditio impleri nequit; eo quod
preces, prout in litteris juxta ſtylum Curie expreſſæ ſunt,
verificari nequeant.

VII. Adhæc monendi ſunt de aliis clauſulis hujusmodi
diſpenſationem litteris inferi ſolitis; necnon inſtruedi ſu-
per præſtando juramento, præſertim ſi diſpenſatio petatur
ob inceſtum aut familiariorem converſationem præceden-
tem.

VIII. Denique cum frequenter contingat in Parochiis
ruralibus diſpenſationem poſtulari in forma pauperum,
convenit ut Parochus exponat clauſulas ſpeciales, quæ in
Reſcripto diſpenſationis in tali forma expedito inferi con-
ſueverunt ex ſolito ſtylo Curie Romane.

IX. Ex his facile intelligitur, formularum & clauſula-
rum, quæ hoc titulo propoſitæ & expoſitæ ſunt, notitiam
non tantum Officialibus, quibus executio litterarum diſpenſa-
tionum committi conſuevit, ſed & Parochis multum
utilem, & quodammodo neceſſariam eſſe; ut nimirum ipſi
ſubditis ſuis, quos mediante diſpenſatione contrahere velle
ſciunt, proponant ea omnia, quæ obtentâ diſpenſatione ve-
rificare ac facere tenebuntur; eoſque moneant, ut ſerio at-
tendant, priuſquam ſupplicam ſuam Romam mittant ex-
penſatque faciant vel rumor de ineundo Matrimonio ſpar-
gatur, num reverà credant ſe ea omnia verificaturos, &
quidem illâ certitudine, ut Matrimonium de nullitate non
periclitetur; nec non juramenta præſtanda cum veritate
præſtituros.

X. Unde, teſte Pyrrho Corrado, nonnulli Episcopi in
Synodo Diceceſana ad hos errores vitandos mandare ſo-
lent, ut cum Parochi de prohibitis Matrimonii verba fa-
ciunt, diligenter doceant & cautè demonſtrent, nullo modo
cenſeri diſpenſatum, niſi verificatis narratis; ac præcipuè, ut
in ſupplicationibus curent verum exprimi.

TITU-

TITULUS XV.

De Divortiis & ſecundis Nuptiis.

CAPUT I.

De Divortio quoad vinculum; & Con-
verſione conjugatorum.

1. Divortium dupliciter ſumitur.
2. Matrimonium legitimum non ratum facilius diſ-
ſolvitur quàm Matrimonium ratum.
3. Matrimonium legitimum Infidelium non ſemper
diſſolvitur altero conjugum ad fidem converſo.
4. Licet etiam impedimento dirimente fuerit contra-
ctum.
5. Poſt conjux converſus ad alias nuptias tranſire,
ſi alter tenuit ſine contumelia Creatoris converſo
cohabitare.
6. Hic tamen recipiendus, ſi convertatur ante tranſi-
tum prioris ad alias nuptias.
7. Matrimonium ratum non conſummatum interdum
quoad vinculum diſſolvitur.
8. Jam pridem per profeſſionem Religioſam Matrimo-
nia credebantur diſſolvi.
9. Id Alexander III. intellexit de Matrimonio rato
non conſummato.
10. In probationem hujus diſſolutionis adducuntur ex-
empla Sanctorum.

11. Diſſolutionem hanc probavit Synodus Tridentina.
12. Efficacia diſſolvendi Matrimonium ratum, non vo-
to ſolenni, ſed profeſſione ſolenni tribuitur.
13. Matrimonium conſummatum juxta ſacros Cano-
nes per profeſſionem Religioſam non diſſolvitur
quoad vinculum.
14. Poſt conſummationem Matrimonii non licet con-
jugi altero invito profeſſionem Religioſam emi-
tere aut continentiam vovere.
15. Qui ſine conſenſu conjugis intravit Monasterium,
ad eum redire compellitur.
16. De conſenſu mutuo licet conſurgit continen-
tiam vovere & Religionem ingredi.
17. Uno conjugum Religionem ingrediente ordinariè al-
ter etiam ingredi debet; & quare?
18. Sacri Canones non permittunt uxorum in Episco-
pum ordinari, niſi ſe ſux uxorem continentiam voveat,
& veſtem religioſam aſſumat.
19. Ratio hujus diſciplina.
20. Providendum ne uno conjugum Monasterium in-
greſſo aliter de incontinentia fiat ſuſpecta, aut ejus
periculum incurra.
21. In hac conjugum ſeparatione convenit ut interpo-
natur auctoritas Episcopi.
22. Ob adulterium non diſſolvitur Matrimonium quo-
ad vinculum.

Ivortium ſumitur dupliciter. Primo
quidem, idque frequentius, pro diſſo-
lutione Matrimonii quo ad vinculum
dicitur que hæc diſſolutio proprie Di-
vortium. Secundo accipitur pro ſepa-
ratione conjugum quo ad thorum & cohabitationem, du-
rante interim adhuc Matrimonii vinculo; hæcque ſepara-
tione conjugum improprie Divortium appellatur.

II. Quo ad Divortium primo modo ſumptum, i ndubi-
tatum eſt, illud facilius admitti circa Matrimonium legiti-
mum non ratum, quàm circa Matrimonium ratum, licet

non conſummatum; quamvis & quo ad Matrimonium
ratum tantum aliquando admittatur.

Matrimonium legitimum non dicitur Matrimonium
inter Infideles ſive non baptizatos ſecundum eorum leges
& inſtituta contractum.

III. Hoc Matrimonium rationem contractus civilis
dumtaxat habens, neque ad rationem Sacramenti hæcenus
elevatum, indiſſolubilitatem ex Chriſti inſtitutione non
habet; altero tamen ad fidem converſo, altero in Paganif-
mo ſeu infidelitate remanente, ſeparationem vetuit Eccleſia
ſua; ut per converſionem unius conjugis & alter ſalvari
poſſit; eum juxta Apoſtolorum 1. ad Corinth. 7. contingat
ſanctificari virum infidelem per mulierem fidelem & c.
contra.

IV. Imò etſi inter ipſos Infideles tempore contractus
matrimonialis interceſſerit impedimentum dirimens, non
tamen propterea conjux ad fidem converſus ab alio ſepara-
ri debet; modo impedimentum illud non à jure nature; ſed
à jure merè poſitivo inductum ſit; ſuper quo Eccleſia
diſpenſat, "in favorem præſertim Chriſtiane Religionis &
fidei à cujus perceptione, per uxores ſe deſeri timentes vi-
ri, poſſunt facile revocari," ait Pontifex in Cap. 8. De
Divortiis.

V. Addit tamen Pontifex hanc exceptionem, "Niſi poſt
converſionem illa renuat cohabitare cum ipſo, aut eti-
amſi conſentiat, non tamen abſque contumelia Crea-
toris, vel ut eum pettrahat ad mortale peccatum: in quo ca-
ſu reſtitutionem petenti, quamvis de injuſta ſpoliatione
conſtaret, reſtitutio negaretur: quia ſecundum Apoſto-
lum: Frater aut ſoror non eſt hujusmodi ſubjectus ſervi-
tuti: hoc eſt, poterit conjux fidelis tali caſu tranſire ad no-
vas nuptias."

VI. Deinde ſubjungit Pontifex: "Quod ſi converſum ad
fidem & illa converſa ſequatur ante, quàm propter præ-
dictas cauſas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere
compelletur."

Porrò cum rarus circa hujusmodi Matrimonium diſſo-
lutionem caſus incidat, plura dicere neceſſe non eſt; ſi quan-
do caſus occurrerit, facile conſili poterunt Commentatores
ad citatum Cap. 8. & 7. eodem tituli.

VII. Matrimonium ratum non conſummatum, quam-
vis ſit perfectum in ratione Matrimonii ante Conſumma-
tionem; facilius ſolvi nihilominus quo ad vinculum, quàm
Matrimonium ratum & conſummatum, nemo Catholico-
rum dubitat.

VIII. Et quidem illud diſſolvi per profeſſionem Religio-
ſam non obſcurè expreſſum eſt apud Gratianum *Caus. 27.
q. 2. can. 26.* ibi ex epistoſa Nicolai I. reſertur hoc frag-
mentum Nam licet ſcriptum ſit, quod Deus conjunctis
homo non ſeparet, Deus tamen, & non homo ſeparat,
quando divini amoris intuitu ex conſenſu utriuſque con-
jugis matrimonia diſſolvuntur.

Hic quidem non ſat clarè exprimitur, num per Matri-
monia de quibus hic agitur, intelligantur rata tantum, an
generaliter rata & conſummata; ſed Eccleſia hos alioſque
Canones de hac diſſolutione loquentes, de Matrimonio ra-
to tantum intellexit; hocque per profeſſionem diſſolvi poſ-
ſe, nequaquam autem Matrimonium conſummatum, de-
claravit.

IX. Alexander III. reſcribens Salernitano Archiepiſcopo
in Cap. 2. De Converſione conjugatorum ait: "Verum
poſt conſenſum legitimum de præſenti, licitum eſt alteri
altero etiam repugnante eligere Monasterium, dummodo

Uu 4

647.

„carnalis commixtio non intervenit inter eos: & alteri remanenti (si communiter continentiam servare voluerit) licitum est ad secunda vota transire. „Rationem subiungit: „Quia cum non fuissent una caro simul effecti, factis potest unus ad Deum transire, & alter in seculo remanere.

Idipsum rescripsit Brixienſi Episcopo in *Cap. 7. eod.* dicens: „quod Dominus in Evangelio dicit, non licet viro nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est secundum interpretationem Sacri Elogii, de his quorum Matrimonium carnali copula est consummatum.

X. Alexander III. *Capitulum 2.* in sua resolutionis probationem adducit exempla Sanctorum dicens: *Sicut quidam Sancti de nuptiis vocati fuerunt;* ex quo non obscure colligitur, Pontificem hic reflexisse ad ea quae habet Gratianus ad calcem allegati *Canonis 26.* ubi probans sponſos posse sine mutuo consensu continentiam vovere, subiungit: „Ur enim refert Beatus Hieronymus, Macarius praecipuus inter Christi Eremitas, celebrato nuptiarum convivio cum vespere thalamum esset ingressurus, exurge egrediens transmarina petiit, & Eremiticam sibi elegit. Item Beatus Alexius Euphemiani clarissimi filius, similiter ex nuptiis divina gratia vocatus, sponſam deseruit, & nudus Christo famulari cepit. Horum exemplo patet, quod sponſi, sponſarum suarum non exquisito consensu, continentiam valent profiteri.

XI. His aliisque moti Patres Tridentini, dixerunt *sess. 24. Can. 6. De Reformat. Matrimonii.* „Si quis dixerit, Matrimonium ratum non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.

XII. Hanc efficaciam dirimendi Matrimonium rite contractum Synodus non tribuit voto solenni; sed solenni professioni Religionis; nec enim omne votum solenne hanc vim habet, quemadmodum quoad votum solenne Ordini sacro annexum declaraverat jam pridem Joannes XXII. in sua *Extravagante unica de Voto.* Similiter licet vota emissi a Patribus Societatis post probationem biennalem sint efficaciam ad dirimendum Matrimonium contrahendum, non tamen dirimunt jam ante contractum, uti post alios notat Gonſales in Commentario ad *Cap. 2. De Convers. Conjugat. num. 6.*

XIII. Si leges Civiles attendamus, non tantum Matrimonium ratum dissolvitur per professionem religiosam, sed etiam consummatum *Novella 23. c. 40.* quam legem non obscure indicat S. Gregorius *Lib. 9. Epist. 39.* eamque tanquam Legi Divinae haud consonam rejicit: „Si enim dicunt (ait) Religionis causa conjugia debere dissolvi, sciendum est, quia etiam hoc Lex humana concessit, Lex Divina tamen prohibuit. Per se enim Veritas dicit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Quae etiam ait: *Non licet dimittere uxorem excepta fornicationis causa.*

Quis ergo huic coelesti Legislatori contradicat? scimus quia scriptum est: *Erunt duo in carne una.* Si ergo vir & uxor una caro sint, & Religionis causa vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam fortasse ad illicita vota migrantem; quae est ista migratio vel conversio, in qua una eademque caro & ex parte transit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione?

Idipsum repetit eodem libro *Ep. 44.* dicens: „Quia etiam mundana lex praecipit, conversionis gratia, utrolibet invito posse solvi conjugium: Divina hoc tamen Lex fieri non permittit. „Extant haec S. Gregorii scripta apud Gratianum *Cauf. 27. q. 2. Can. 19. & 21.*

Hanc S. Gregorii aliorumque Patrum sententiam amplexa Ecclesia, docet Matrimonium ratum & consummatum per professionem religiosam non dissolvi; quin & vinculum Matrimonii inter Conjuges manere, tametsi de mutuo consensu uterque solennem professionem Religiosam emisisset.

XIV. Uterius hinc consequens est, conjugem alterum non posse altero invito Religionem ingredi, aut etiam continentiam vovere, ita scilicet ut alter debito conjugali ob illud votum fraudari deberet invitus. Unde scribit S. Augustinus *Epist. 227. ult. edit.* „Una sola cautela esse posset, quae te id quod vovisti, non solum non hortaremur, verum etiam prohiberemus implere, si forte tua conjux hoc tecum suscipere animi, seu carnis infirmitate recusaret. Nam & vovenda talia non sunt a conjugatis, nisi ex consensu & voluntate communi: & si praeproperè factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam perſolvenda promissio. Gratianus *Cauf. 33. q. 5. Can. 6.*

Et in *Cap. 5. De Convers. Conjug.* rescribit Alexander III. Strigoniensis Archiepiscopo: „Nullus conjugatorum est ad sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profertente fuerit absolutus.

XV. Quin & idem Pontifex Pisano Episcopo respondit in *Cap. 3. eodem,* quod qui invitè uxore intravit Monasterium ad eam redire compellatur, asseritque, votum sic emissum non tenuisse: „Unde ratione voti (ait) ad Monasterium non tenetur redire, ulterius vero non poterit uxorem accipere: promissit enim se non exigere debitum, quod in eius potestate erat: & idè quoad hoc tenuit votum, non reddere autem, non erat in eius, sed mulieris potestate, „Idem respondit Caestinus III. in *Cap. 12. eod.*

XVI. De consensu conjugis, alterum conjugem posse ad religionem transire, aut continentiam vovere, indubitatum est: quod & in citata epistola expressit S. Gregorius dicens: „Si verò utriusque conveniat continentem vitam, ducere, hoc quis audeat accusare, quando certum est, quod omnipotens Deus, qui minora concessit, majora non prohibuit.

XVII. Verùm cum sit periculosum sit, uxorem in seculo remanere, viro Religionem ingresso, Exoniensis Episcopo scribit Alexander IV. in *Cap. 4. De Conversione Conjugat.* „Cum sis praeditus scientia litterarum ignorare non debes Sanctorum Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir uxore sua aut uxor viro ejus non assumente religionis habitum, debeat ad religionem transire. (Quia cum vir & uxor una caro sint, sicut docet Apostolus, non potest unus ad Deum converti, & alter in seculo remanere) Inde est quod auctoritate Apostolica prohibemus, ne in Episcopatu tuo virum vel uxorem (nisi uterque ad religionem migraverit) transire permittas. „Ita legitur in prima Decretalium collectione apud Antonium Augustinum; Raymandus autem verba anſulis inclusa omisit.

XVIII. Rurſus idem Pontifex Strigoniensis & Colonienſis Archiepiscopi scribit in *Cap. 5. eod.* „Fraternitati vestrae auctoritate Apostolica prohibemus, ne uxorem praesumatim in Episcopum ordinare, nisi uxor prius professa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem assumat.

XIX. Ratio hujus additur in integra Decretali in prima Decretalium collectione: „Quod si in quibuslibet Ecclesiasticis gradibus providenter solerterque curandum est, ut in domo Dei nil sit inordinatum, nihilque praeposterum: multo magis laborandum est, ut in ejus promotione, qui super omnes gradus continetur, non erretur. „Inde est quod Fraternitati vestrae &c.

Ne uxoris incontinentia in Episcopi contumeliam vergat, eam ab omni periculo & suspitione incontinentiae exemptam oportet, quare & jam pridem in Synodo VI. *Can. 48.* decretum fuit, ut „uxor ejus qui ad Episcopalem dignitatem promovetur, communi sui viri consensu prius separet, postquam in Episcopum ordinatus est ac consecratus, *Monasterium ingrediatur* procul ab Episcopi habitatione.

Uxor ergo illius qui in Episcopum consecratus est, juxta sacros Canones Monasterium ingredi debere verisimilius est.

XX. De

XX. De cetero, semper sollicitè providendum, ut uno conjugatorum Monasterium ingrediente aut continentiam vovente, alter cum periculo aut suspitione incontinentiae in seculo non maneat; quod praecipue Pontifices in suis responsis praeculis habuerunt.

Unde Priori & Fratribus S. Joannis scribit Alexander III. *Cap. 8. De Convers. Conjugat.* „Uxoratus sine licentia uxoris inter vos nullatenus recipiatur, quae integra opinionis existat, ita quod nulla marito suspicio habeatur, eam ad secunda vota; velle migrare, vel quod minus continenter debeat vivere: quae si talis existerit, marito ejus in consortio vestro recepto, ipsa publice in conspectu Ecclesiae continentiam professi, in domo propria cum filiis suis & familia poterit permanere. Si autem talis fuerit, quae suspitione non careat: voto continentiae celebrato, à secularium hominum se conversatione removeat: & in loco religioso, ubi Deo serviat, perpetuo commoretur.

Praecipue ergo providendum, ut incontinentiae periculum & suspicio amoveantur; quod clariùs innuitur in citato *cap. 4.* ubi verbis supra relatis immediate subditur haec cautio: „Verum si ita uxor senex est & sterilis, quod sine suspitione possit esse in seculo, dissimulare poteris, ut ea in seculo remanente, in castitatem promittente, ad religionem transeat vir ejusdem.

Eadem cautio occurrit in Responso Innocentii III. in *Cap. 18. eod.*

XXI. Ut autem circa haec prudenter procedatur, convenit, ut in hujusmodi conjugatorum separatione sententia sive judicium Episcopi interveniat, de quo ita legitur apud Gratianum *Cauf. 27. q. 2. Can. 23.* „Si vir & uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine Episcopi conscientia fiat, ut ab eo singulariter provisio constituatur loco.

XXII. Olim quidem à nonnullis etiam Catholicis dubitatum fuisse, num ob adulterium alterius conjugis Matrimonii vinculum non dissolveretur, certum est; quam in rem videri possunt quae habet Gratianus *Cauf. 32. q. 7.* & hodie ipsi Graeci tenent Matrimonium per adulterium quoad vinculum dissolvi; quod & Oratores Venetos in Synodo Tridentina exposuisse scribit Cardinalis Pallavicinus *lib. 22. Historia Concilii Trid. cap. 4.* qui & postularunt aliquam Canonis concepti moderationem, ne nimium offenderentur & perpetuam ab Ecclesia Romana secessionem facerent Graeci in Insulis Reipublicae Venetorum subjectis commorantes; quod & obtinuerunt, quemadmodum ibidem fufius narrat Pallavicinus.

Canon Concilii Tridentini tandem reformatus ita sonat: „Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum docuit & docet juxta Evangelicam & Apostolicam Doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjugum vivente, aliud Matrimonium contrahere; moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, quae dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.

Conformiter ad hanc Synodi oecumenicae definitionem profitemur, matrimonium ob adulterium non dissolvi; nec posse innocentem vivente adultero ad alias nuptias transire; quamvis separationem fieri posse quoad thorum & cohabitationem fateamur, de qua capite sequenti.

CAPUT II.

De separatione Matrimonii quoad thorum & cohabitationem.

I. Matrimonium Fidelium etiam consummatum variis de causis dissolvi potest quoad thorum.

2. Adulterium uxoris iusta est causa separationis.
3. Ratio hujus separationis.
4. Ecclesia in hac causa non agnoscit differentiam inter virum & uxorem.
5. Secundum Canones vir mulierem adulteram ante aliam penitentiam recipere non potest.
6. Acta penitentia potest vir recipere uxorem adulteram.
7. Nequaquam invitus ad eam recipendam adigi potest.
8. Interdum lex charitatis ad recipiendum obligat.
9. An maritus propria auctoritate uxorem adulteram recipere queat, si separatio iudicis auctoritate facta fuerit?
10. Maritus adulteri conscius injuriam remisisse censetur, si eam cognoverit.
11. Maritus adulter non potest dimittere uxorem adulteram.
12. Separatio quoad thorum fit quoque ob haeresim alterius conjugis.
13. Aliquando dubitatum, num ob haeresim Matrimonium non dissolveretur quoad vinculum: at hodie certum est, non dissolvi.
14. Ob vitia corporis an indicenda separatio?
15. Ob furtum aliusve simile crimen conjugis an separatio facienda?
16. Ob sevitiam viri potest mulier separationem petere.
17. Separatio ex causa adulterii ex se perpetua, aliae vero temporales esse solent.
18. Separatio quoad thorum & cohabitationem à conjugum innocente non facile petenda.
19. Separatio quoad habitationem sine auctoritate iudicis fieri nequit.
20. Causa separationis iudici probari debet.
21. Quid si conjugum qui certò novum nullitatem Matrimonii à iudice cogatur ad reddendum debitum sub poena excommunicationis?
22. Summa prudentia opus est in decernenda separatione.
23. Sententia separationis numquam transit in rem iudicatam.
24. Facta separatione, adimenda conjugibus incontinentiae occasio.
25. Ex Concordato inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem questio Divortii ad solum iudicem Ecclesiasticum spectat.
26. Quid de alimentis conjugum decernendis?
27. Quis de dote & donatione propter nuptias lucranda aut petenda, item de divisione bonorum iudicare debeat?



I. Uamvis Ecclesia teneat Matrimonium Fidelium ratum & consummatum esse indissolubile quoad vinculum; neque possit quacumque ex causa, etiam adulterio dissolvi quoad vinculum, fatetur tamen Matrimonium etiam consummatum, non una ex causa dissolvi posse quoad thorum; ipsosque Conjuges separari quoad thorum & cohabitationem, salvo interim vinculo Matrimoniali inter ipsos Conjuges ita separatos, quod Synodus Tridentina *sess. 14. Can. 8. De Reformat. Matrim.* definitur his verbis: „Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad habitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.

II. Adulterium uxoris esse causam legitimam separationis, posseque virum uxorem adulteram dimittere, nemo unquam dubitavit, ob claram sententiam Christi dicentis: *Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa facit eam moechari.*

De